



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Historia Missionis Anglicanae Societatis Iesv

More, Henry

Avdomari, 1660

Litterae Oliuierij Manaraei super ea re. Ibidem

urn:nbn:de:hbz:466:1-38320

cit, vt quæ in futurum constituenda erant, non tanquam ipsius decreta, sed tanquam ipsorummet consiliorum effecta obuijs vlnis amplecterentur, scriberentque ad Generalem *Claudium*, nullum potentius remedium videri ad pacem optatissimam conseruandam stabiliendamque, quam si apud eos *Personius* diutissimè maneat; vt cuius prudentia, mansuetudo, industria, caritas, terminis contentioni positis quietem induxerat, eandem in futurum tempus illius præfens virtus & auctoritas roboraret. Similia scripsere ad amicos, Doctores *Hil-* 17. Maij
lus, & *Guilhelmus Giffordus* Decanus *Insulensis*, benedicentes Deum qui quem- 97.
 admodum post *Moysem* *Iosue*, post *Ionatham* *Dauidem*, ita ad populi sui præ- 15. Maij
 fidium post *Alanum* substituisset *Personium*. Et durauit ea pax ad annos pluri- & 10. Iulij
 mos, neque inquietorum deinde turbulentiâ, quanquam tentata, potuit vs-
 que quaque infringi. Fructus autem qui ad pietatem accendendam emanauit
 quantus quamque excellens fuerit dici non potest, reuocatâ pristinâ sublimis
 vocationis existimatione, & cum in studijs diligentia virtutum omnium re-
 cuperatâ exercitatione.

III. At *Personij* in Italiam profectio aliam habere causam visa est ijs qui
 publicarum rerum rationibus immerfi, Principum priuatorumque studia &
 actiones pro suarum modo cogitationum interpretantur. Meminerant Regis
Philippi Secundi aures apertas ei semper fuisse & faciles, tantumque eius tri-
 buisse vel auctoritati vel consilij, vt & gratum esset quodcunque proponer-
 et, & quidquid petisset haud difficulter impetraret: adiutumque sciebant
 ad itineris sumptum quingentorû aureorum nummum pecuniâ. Tum *Alano*
 Cardinale demortuo quæri videbant eius gentis hominem qui res Angliæ
 cum dignitate moderaretur, neque legniter agi vt aduersæ Hispano parti is
 honor adderetur, quâ in re neque Regem dormire, neque quemquam *Per-*
sonio prælaturum animaduertebant. Exemplo autem *Toleti* ad illam digni-
 tatem anno nonagesimo tertio euecti non ægrè *Clementi* Pontifici perluaden-
 dum, vt vniuersales Ecclesiæ Regnorumque rationes priuato Societatis insti-
 tuto præhaberet: Ipsius denique *Personij* virtus, industria, zelus, rerum expe-
 rientia publicarum, orbi Christiano vbique notissima, & fama viri longè
 lateque per omnium Principum aulas dispersa, sermonem haud leuem con-
 citarat propediem in Patrum Purpuratorum Senatum adlescendum: Eo-
 rumque ex numero Hispani aliqui non grauabantur eius dignitatis id tem-
 poris consueto Illustrissimi titulo illam honestare. Quæ vox cum in Belgiû
 vsque esset perlata, *Oliuerius Manaræus*, & *Richardus Gibbonus*, pro eo quo
 Societatis institutum colebant studio, literis ad eum datis obtestati sunt, nè
 se pateretur huiuscemodi honoribus abduci ab ea quam hætenus cum lau-
 de professus fuerat vitæ ratione. *Oliuerius* ipsissimis his verbis illum allo-
 quitur.

Reuerende in Christo Pater, Pax Christi, &c. iam tempus est vt V Ra. So. Literæ Oli-
 cietati vniuersæ, & orbi ipsi testatam faciat integritatem suam, & fidem uerij Ma-
 erga Societatem ipsam. Occasione obitus Illustrissimi Domini *Alani*, nihil naræi su-
 per ea re.

1596. non moliuntur Angli nostri, nobiles, Sacerdotes, Seminaria vt capiti tuo imponatur diadema Cardinalitium. Hunc in finem obtinuerunt literas ab his proceribus, nominatim à Duce de Feria, & forsitan ab ipso met Archiduce ad Regiam Majestatem atque ad suam Sanctitatem variolq; Cardinales, ad quam etiam ipsi varijs ex locis suas precatorias dederunt. Actum est quidem cum aliquibus à nostris ad inflectendam eorum animos potius ad Reuerendissimum Episcopum Cassanensem, quod multo vtilior sit opera V. Reuerentiæ Angliæ, & particularibus, & Seminarijs in statu in quo nunc versatur simplici & Religioso, quàm ad Cardinalitiam dignitatem euectæ; in qua minimè possit tam liberè versari cum omnibus Anglis, intelligere secreta, præscribere necessaria particularibus & secretis personis sicuti nunc; neque emendicare eleemosynas à Principibus & Nobilibus, à Prælatibus & Ecclesiasticis, à Ciuibus & Mercatoribus Cardinalis effecta, sicuti nunc sub priuato habitu, & modestia Religiosa apud omnes liberè & sine offensione facit: Non conuerteret à Religione Catholica alienos, non Catechizaret, non visitaret ægros in carcere, & priuatis ædibus, neque aduentantes Anglos in nauigijs in portibus varijs; neque administraret deniq; Sacramenta, sicuti nunc facit, & hæc præstat omnia summa cum vtilitate, & omnium ædificatione. Sed totam sollicitudinem cogere transferre ad negotia publica Ecclesiæ, & ad œconomiam & curam domesticam, quæ non posset non esse permagna, vbi proventus exigui sunt, domestici multi, pauperes & peregrini plurimi, desiderium omnes iuuandi ardens. Nam quid posset conferre in Seminaria auxilij aucta dignitate Cardinalitia? haberet, inquam, proventus octo vel decem millium ducatorum: Quid illud esset ad opitulandum tam multis, ad succurrendum Seminarijs, & ad honestam necessariamque familiæ sustentationem? Hæc, inquam, suggerimus, & ostendimus Dominum Cassanensem iam habere proventus certos & paratos, & maiores quam habuerit optimus Cardinalis *Alamus*: Sed hæc non eos mouent, propter causas Vestræ Reuerentiæ notas, cuius candor, humanitas, rerum Anglicarum peritia, & in omnes caritas, sic eos capit, vt non intendant alijs quam suis consilijs. Superest igitur vt vestra Reuerentia, quod factura erat me non monente, valdè generose agat, ne porta semel aperta laxetur magis, magisq; pateat aliquorum ambitioni. Aduigilet autem nè clam se cum Rege agant, & eius animum inducant in hanc persuasionem, quod licet Societati non expediat, expediet tamè bono communi Ecclesiæ, & Regni Anglicani; nam vt pientissimus est, verendum est ne sibi persuaderi patiatur: Illud autem persuasum habeo, nullum esse in Societate qui vel facilius, vel efficacius amoliri possit à Societate hoc malum quàm Reuerentia Vestra, quam vt Deus Dominus noster conferuet precor, & Sanctis suis precibus multum me commendo. Bruxellis 24. Nouembris 1594,

Reuerentiæ Vestræ seruus in Christo *Oliuerius Manaræus*,

IV. Erat id temporis Hispali *Personius* cum has accepit, quid responderit *Manaræo* non reperio: Sed missis eius literis ad *Claudium* Generalem hæc adiungit.

Admo-